

200

בגה
Asterium

HIERONYMI RORARI,
 Qvod Animalia
 bruta ratione utantur melius

Homine,
 modestè examinatum,
 PRO LOCO

In Amplissimâ Facultate Philosophicâ
 benevolè sibi assignato,
 placidæ disquisitioni submittit

PRÆSES

M. GEORGIUS DA-
 VID Siegra/

Wittenbergensis,
 RESPONDENTE

M. JOHANNES GEORGIO Dolansky/
 Neo-Boleslaviâ-Bohemo,
 in Auditorio Majori,

D. 8. Febr. An. 1681. horis matutin.

WITTENBERGÆ,
 Typis JOHANNIS WILCKII,

~~1681~~

Coll. diss. A
 240, 40

Diss. A. 240 (40)

86

Sächs.
Landes-
Bibl.



Σὺν τῷ Θεῷ!
προδουλιον.



Didit superioribus annis Hieronymus Rorarius, Exlegatus Pontificius, ceu vocatur, Vir Nobilissimus & sapientissimus, sicut ipsum nominat Gabriel Naudæus in Epistolâ ad Petrum & Jacobum Puteanos Fratres, Claudii Filios, libros duos, in quibus memorat discursum, quem in itinere versus Neapolin cum Bernhardo Clesio, Cardinali Tridentino habuit comes, in quo affirmare non veretur, Bruta sæpè ratione uti meliùs Homine. Cujus Viri Doctissimi quidem, sed religioni & superstitionibus Pontificiis addictissimi, Papæq; Adulatoris maximi, scriptum non sermone modo, qui castigatus omninò nitidusq; , sed & præcellentè quadam sensuum dignitate exaratus. Viro laudato habetur, cum accuratius perpenderem à vero multum aberrasse videtur. Nemo igitur, opinor, mihi vitio vertet, si potiora ex eodem veritatis asserendæ causâ & modestè perlustravero, & quæ pro sua sententiâ vindicandâ affert, aut explicavero dilucidè, aut etiam refutavero solidè: Absint scommata, absit omnis acrimonia, omnis aculeatus sermo: Adsit modestia, adsint ea, quæ investigandam promovent veritatem, & Deus cum primis adsit nostris conatibus!

A 2

§. 1. An-

§. 1.

ANtequam verò sententiam nostram veram adducamus & à falsâ vindicemus, voces enucleemus & explicemus necessum est. Ac primò quidem Rationis nomen, quod varium admodum est, totq; recipit formas, quot vix Protheus aut Chamæleon induit. Nos, ne in recensendis iis pagellas hæc nimis gravemus, explicatione earum, sicut & originis, in præsentī superfedemus. Conferri interim in eam rem potest Magnif. Dn. D. Calovius, in opere *Phil. de Præcogn. Entis* c. 3. p. 216. Bellovius, *tract. 3. c. 208.* Martinius, in *Lex. Philol. sub hac voce.* aliq; Hoc tantum denotamus, *Intellectum, Mentem, Rationem* nos pro æquipollentibus habere, non secus ac Armandus de bello *Visu tract. 2. c. 136. p. 270.* docet: *Ratio & intellectus eadem sunt potentia realiter; sed differunt in actu. Quia intellectus dicitur, quando res sine discursu apprehendit, sed idem Intellectus dicitur Ratio, quando circa res apprehensas discurret considerando, componendo, dividendo.*

§. 2. Est verò ipsa *Facultas animæ rationalis, omnes res cognoscens, deq; rebus cognitis discurrens & iudicium formans.* Facultas dicitur Ratio, & restringitur ad solam animam humanam, tanquam proximam & principalem causam, sed per emanationem. Quamvis autem princeps ac primaria ejus sit facultas, ipsa tamen anima non est. Nam facultates animæ rationalis non tantum formaliter ac λόγῳ, sed & realiter ab ipsa anima distinguuntur. Habent enim se ut causa & causatum, & differunt ut res & res. Anima substantia est & causa efficiens: facultates verò accidentia sunt & effecta. Patet hoc ex vulgato canone: Nulla substantia creata est immediatum suarum operationum principium. Conf. Magnif. Dn. D. Calovius, *Metaph. div. part. gen. c. 13 p. 543* B. J. Martini *disp. 2. de anima* tb. 4. B. Sperlingius *Anthrop. L. 1. c. 2. q. 1. p. 112.* & *Syn. Anthr. p. 25.* Greg. de Valentia, *Com. Theol. T. 1. disp. 6. q. 3. punct. 2. col. 1406.* Paul. Voetius, *Phil. Pr. Ref. c. 27 f. 3. §. 3. p. 588.* Zabarella, *L. de facult. an. c. 4.* Conimbr. *Com. in L. 2. de an. c. 3. q. 3. & 4. & c. 4. q. 9.* item B. Scharffius, *Theor. Transc. part. gen. disp. 10. Append. iii. tb. 48. 49.* Svarez, *T. 1. disp. 18. f. 3. n. 3. seqq. p. 387.* aliqve.

§. 3. Ob-

202.

§. 3. Objectum verò contemplandum facimus res omnes, quæ cognosci possunt. Cognosci autem possunt substantiæ & accidentia; materialia & immaterialia; universalia & singularia; entia realia & rationis; quod probare brevitatis amore supersedemus. Qui tamen probationem avet, adeat autores, imprimis B. Sperlingium *l. c. Danhavverum Colleg. Psychol. p. 187. p. 202.* Scheiblerum, *L. 1. de an. part. 2. disp. 4. th. 11. 12.* Aristotelem *L. 3. de an. c. 4.* Conf & Francisc Titelm. *L. 11. Phys. c. 1.* Distingvunt aliàs res in eas, quæ supra, quæ juxta, & quæ infra sunt rationem, circa nullas tamen planè otiosam deprehendim^{us} Rationem. Cognoscit enim modò θετικῶς positivè, modò ἀρνητικῶς atque negativè, modò ἐξοχικῶς per viam eminentiæ. Attamen non simul & eodem modo considerantur, sed successivè, & ταχικῶν ὄντων ἀπὸ παντὸς τρέχει admonente Thalete apud Laert. Hinc non abs re dixit Virgilius, igneum vigorem illi à Deo esse inditum, videlicet propter agitationem, quæ nunquam acquiescit, docente Cicerone.

§. 4. Diximus autem objectum esse res omnes, scil. Adæquationis. Duplex enim solet constitui objectum, materiale aliud, aliud formale. Illud iterum vel Adæquationis est, quod cum intellectu recipitur, adeoque nec latius, nec angustius eo est: vel Primitatis; quod temporis & ordinis primitate ab intellectu cognoscitur. Formale s formalitatis est, quod modum, quo intellectus circa intelligibile versatur, determinat. Istud in nostra descriptione expressimus, reliqua non excludentes. Illud sunt singularia sensibilia singularia, quia his cognitis idem universalia formantur: sensibilia, quia nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu, docente Sperlingio. *l. c.* Hoc verum est, unicum & gratisimum mentis ferculum. Probè tamè hic tenendum, quod monet Mendoza. *disp. 5. de an. s. 3. §. 15.* Intellectum non semper tendere in verum realiter, sed in verum realiter & apparenter, alioquin nunquam deciperetur, decipitur autem, quia præstat assensum objecto, quod non est. Sicut enim evidentia objecti necessitat intellectum ad illius assensum, ita evidentia falsitatis illum ad non assentiendum necessitat.

§. 5. Quomodo verò Rationis fiat cognitio nobis paucis disqui-

disquirendum est. Ejus autem modum omnium optimè & egregie exposuit B. Sperlingius, *l. c. p. 141. seqq.* è quo nonnulla hic apponemus. Quum animus cœlestis terrestris domicilio corporis hebetetur, ad objectum suum cognitionis immediatè pervenire non potest, ideo mediatè & sensuum adminiculo ipsi procedendum. Hinc optimè Plato mentis internuncios, quasiq; satellites sensus, eosdemqve duces ad veritatem nuncupavit. Aristoteles, nihil intelligi, nisi priùs sensu id percceptum fuerit, affirmavit. Verum enim verò non intelligendum, ac si sensus rei substantiam, vel essentiam, ut Cicero loqui solitus, perciperet, ideoqve nec secundum esse suum totum objectum ingreditur sensum: sed per imaginem sui ipsi se insinuat. Omne enim sensibile spargit & diffundit à se speciem sui in partes omnes, quas primò apprehendunt sensus externi. Et hujusmodi species dicuntur sensibiles, spirituales item & intentionales, ac sunt simulacra & imagines ab objecto sensibili egredientes, illudq; sensibus repræsentantes.

§. 6. Hæ autem species in exteriori sensu non manent, sed ad internos quoq; Communem nempe & Phantasiam, deferuntur; ubi Communis Regis instar aut Judicis in throno sedet, & ab externis illis veluti ministris fidelibus sigillatim visa, audita, adorata, gustata atqve tacta accipit & judicat. Phantasia species ad se delatas, cognitionis & notitiæ gratia, diutiùs retinet, & diligentius exactiusqve examinat, depurat, & in naturam Phantasmatis confert. Hæc proximum exhibet ministerium, ita ut sine illius ope quocunqve modo facta, nihil cognoscat Ratio. Accedit postmodum Intellectus agens, qui ex idolo phantastico, tanquam ideâ, ad ejus similitudinem, speciem efficit intelligibilem spirituales, quando phantasmata conditionibus materialibus, quæ sunt instar tenebrarum, involuta, illustrat, non quidem formaliter, ita ut vim seu qualitatem imprimat, cujus beneficio phantasma ab intellectu excitetur ad gignendam formam spirituales s. speciem intelligibilem; neq; objectivè solùm per solam assistentiam & præsentiam; sed effectivè, dum intellectus agens tanquam externa lux, sui consortio activè phantasmata elevat ad producendam speciem intelligibilem, cui accedit & hoc, quod speciem sensibilem in Phantasiâ impressam

impressam sua materialitate & accidentibus singularibus exuat, à phantasmate præcidat, ab iisq; repurgatam ad intellectum patientem transmittat, ubi in speciem intelligibilem abit, ut nerôsè hâc de re differit J. Martini. *Exerc. Met. 8. L. 1. lb. 9. p. 819.* Conf. B. Sperl. *l. c. Danhaw l. c. disp. 6. p. 161. & disp. 9. p. 206.* Conimbr. *L. 3. de an. c. 5. q. 2. art. 1.*

§. 7. Restat ut intellectûs s. Rationis paucis quoque triplicem perlustremus actionem. *Prima* est *ἰόνσις ἀπλῶν νοημάτων καὶ ἀδιωρέτων*, quando Intellectus s. Ratio non componit objectum unum cum alio, sed nudè & singulatim concipit & repræsentat, nihil affirmando vel negando. *Secunda* *σύνθεσις καὶ ἀγίρεσις τῶν νοημάτων*, quando simpliciter sine discursu res simplices multas componendo vel dividendô, disponit. *Tertia* *λογισμὸς ἢ ἀγίνοια*, quando Intellectus per examē rationis omnia discutit; seu: unum ex alio deducendo, & ab uno ad aliud transeundo per discursum plura noemata disponit, unde discursus mentis solet dirigi. Vide Conimbr. *l. c. c. 16.* Mendozam, *disp. 7. de an. f. 1. §. 1.* Aristotelem, *L. 3. de an. c. 6. θ. 8. 25.*

§. 8. Multa adhuc nobis dicenda essent, nisi nostri instituti & compendii faciendi ratio ab ista prolixitate revocaret nos maximè, quapropter missâ eâ facultate, ad alteram primariam rectâ progredimur viâ, quæ *Voluntas* appellatur, item *Appetitus rationalis*, à Scholasticis verò essentia rationalis, teste Armando. *l. c. p. 31.* Et hæ duæ Facultates, *Voluntas* n. p. & *Ratio*, indivulso conjunctæ sunt nexu, ita, ut cuicumque adscribitur *Ratio*, ei adscribenda quoque est *voluntas*. Nam ubi cunctarum rerum cognitio, earum compositio ac tandem discursus s. ratiocinatio, ibi liberam quoque rei cognitæ adesse electionem, quæ efficit, ut subjectum volens ad utrumque indifferens sit atque indeterminatum, necesse est.

§. 9. Definitur à B. Sperlingio, *l. c. p. 205.* quod sit *Facultas animæ rationalis ad bonum appetendum ordinata.* Genus cum *Ratione* commune habet: hinc, quæ supra circa
facult-

facultatem in genere de earum reali ab anima diversitate diximus, hic quoque; militant, cramben enim bis coctam apponere haut opus erit. Verum enim verò iccirco Voluntatem ^{& Intellectum} rem unam esse & non nisi ratione distingvi non est asserendum, quæ dura Durandi est opinio, in 1. dist. 5. q. 3. nec non ipsi Scalligeri, Exerc. 307. f. 3. sed diversæ & reapse inter se distinctæ sunt Facultates. Diversi namque sunt actus, aliud enim est cognoscere, aliud rem cognitam appetere; illud fit patiando & recipiendo, hoc persequendo: diversæ potentia, quarum una alteram movet: diversa quoque; habent objecta; illius est verum, hujus bonum, vid. J. Martini. cent. 6. Disp. 2. 46.

§. 10. Objectum igitur, ut jam diximus, est Bonum, idque; ab Intellectu ante cognitum & propositum. Malum enim non appetit, sed fugit; appeteret enim sui destructionem. Illud verò vel ἀληθὺς tale, quod reipsa bonum est, sive habeatur pro tali, sive non: vel φαινόμενος est, quod reipsa malum est, licet pro bono habeatur. Actus ejus est velle, ratione cujus ipsa voluntas Liberum arbitrium dicitur, quatenus scilicet positus omnibus ad agendum requisitis indifferens ad utrumque; oppositorum est, agere, & non agere potest. Velle iterum & ratione actuum oppositorum, & ratione objectorum dividitur. Ibi tres speciales actus habentur, 1. velle approbationis simplicis. 2. nolle, repugnantia simplicis. 3. non-velle actus ex utraque; mixtus & medius, quem invitam permissionem dices. Hic fertur in objecta quædam, ut finem, & sunt: velle, frui, intendere. In quædam, ut media, consentire, eligere, uti. Sed hæc ulterius explicare nunc non licet, ad reliqua pergimus.

§. 11. Ex his facultatibus primariis oriuntur secundaria, facultas n. p. loquendi, videndi & flendi. Sermo est facultas animæ rationalis ad res mente conceptas enunciatione manifestandas ordinata. Facultas dicitur animæ rationalis, aut secundaria, quippe facultates animæ non ejusdem omnes sunt dignitatis, sed alia alias nobilitate, objectorum & operationum, antecellunt. Objectum sunt res mente conceptæ.

204

ptæ. Modus in eo consistit, ut ex enuntiatione manifestentur. Pulchrè hic coherent ordine τὰ πράγματα s. res, τὰ νοήματα s. conceptus, & τὰ ῥήματα s. φωνὰι voces vel vocabula. Res sensibus nostris occurrunt, quas cum animo apprehendimus, earum conceptus, h. e. notiones & quasi imagines in animo formamus; deinde animi nostri sensa, h. e. quæ de rebus concipimus & cogitamus, per voces exprimimus.

§. 12. *Risus est facultas animæ rationalis, ad lætitiæ representandam ordinata.* Causa efficiens principalis ut in omnibus facultatibus, ita in hac est anima rationalis, utpote sola facultate ridendi prædita. Ejus objectum est lætitiæ. A gaudio enim oritur risus, gaudium verò à causa multiplici. Ridere faciunt res novæ, jucundæ, repentinæ, leves, ludicræ. Hujus oppositum est *Fletus, ad tristitiæ representandam ordinatus.* Objectum est res flebilis, tristis ut plurimum. Plura qui de his omnibus desiderat, imprimis quomodo fiat sermo, Risus & Fletus, adeat B. Sperlingium, qui ei satisfaciet, nobis brevissimis ambulandum est spatiis.

§. 13. Tribus tantum adhuc verbis addimus naturam Bruti, quæ facilè è comparatione cum natura hominis patescit. Homo definitur, quod sit *animal rationale*; ubi differentia est τὸ λογικόν s. *Rationale.* Hoc enim hominem constituit, & ab omnium animalium speciebus segregat. Vera autem & legitima hæc est, quia, quod rarum aliàs, à specifica forma fluit, à qua homo esse habet, distingvi & operari. Per hanc intelligimus, per hanc volumus, per hanc disjungimur à brutis & associamur Angelis imò ipsimet Jehovæ, ut habet Sperlingius in *Instit. p. 1295.* Brutum verò definitur, quod sit *animal irrationale.* Ubi differentia, per quam ab homine differt, est irrationale, quod quidem terminus negativus esse videtur, & in se quoque revera est, interim tamen res ibi indicatur non privativa, sed positiva, forma nempe animæ rationali opposita. Unde qui irrationale dicit, nil nisi bestiale & brutale dicit.

B

§. 14. Præ-

§. 14. Præmissis ergò & explicatis, quæ ad sententiam nostram veram probandam, & contrariam refellendam non parùm facere visa sunt. Removebimus nunc, quæ ad quæstionem non spectant, postea verò nostram solidè probabimus. Etenim non quæritur, an quædam animalia bruta præstent Homini sensibus? Quod non negatur. In vulgus enim notum, Aquilam præstare homini visu, asinum auditu, &c. Homo tamen sibi gratulari habet de sensibus suis integris & incorruptis. Et licet quædam interdum interveniat obscuritas, refarcitur tamen ratione & claritate mentis. Benè Divinus Plato: Hominis nomen illud significat, quod cætera quidem animalia, quæ vident, non considerant neque animadvertunt neque contemplantur: Homo autem & videt simul & contemplatur, animadvertitq; , quod videt. Hinc meritò solus ex omnibus animantibus homo ἀθεωπός est nominatus, quasi ἀναθεωρῶ contemplanus, quæ ὀπωπῆν, i. e. videt. Quod iudicium sit etiam de aliis: Nec quæritur, An dentur homines, qui exuta omni ratione & humanitate, Diabolis ipsis peiores & immaniores in tantam immanitatem irruerint, in quantum ne bruta quidem ratione destituta, cujus rei testimonia profert in Turcis, Latrone illo Cracoviensi fidei Pontificiæ Assecla, aliisque quamplurimis adductis, & prostant plura & majora in Expeditione nuperrima, quam vocant, Hungaria & in Crocii **grossen Marter-Buche**. Hæ enim aperta sunt & à nemine negari possunt. Sed hoc quæritur, an Animalia bruta polleant ratione, supra à nobis descripta; Quod nos negamus. Fuerunt quidem Veteres nonnulli Philosophi, Pythagoras, Anaxagoras, Plutarchus, Galenus, Porphyrius, postea Laurentius Valla, qui Brutis aliquid rationis competere statuerunt; sed nemo fuit, quod ego sciam, qui ipsam rationem Brutis animantibus asseruerit, multominus, qui præsuppositâ simplici, usum meliorem rationis, ceu Autor noster Hieronymus Rorarius, in quo doctissimus Vir primò notandus, dum in leges propositionum comparatarum insigniter peccat, ceu è Logicis perspicuè constat.

§. 15. Cate-

§. 15. Cæterum sententiam nostram veram, Rationem
 scil. & ab hac oriundas operationes soli homini competere,
 neutiqvam brutis, assertio non tantum est divina Ps. XXXII. 9,
 Eccles. XII. 7. Zach. XII. 1. quibus de Theologi nostri accura-
 tissimè; sed & veræ Philosophiæ concinit, quod probatum
 dabimus, paucis quidem sed firmis rationibus, quarum
 Prima est: Quodcunque Hominem specificè constituit & à
 Bruto distinguit, illud Bruto competere non potest. Atqui
 Ratio &c. E. Est enim ut è Logicis constat, Essentialis diffe-
 rentia, quâ unum differt ab alio per formam & essentiam pro-
 priam, Hinc differentia specifica divisiva & constitutiva est,
 illa dividit genus & oppositas species ut rationale, & irratio-
 nale quæ dividunt animal in hominem & bestiam; Hæc certâ
 constituit speciem, ut rationali, quatenus refertur ad hominē,
 quem cum animali constituit. Cætera ex supra adductis, de-
 finitione nempe Hominis & Bruti luculenter admodum patent.

§. 16. Secunda: Quicquid uni soli speciei & omnibus
 ejus individuis semper inest & prædicatur in quale, illud pro-
 prium est homini, & non competit Bruto. Rationis opera-
 tiones &c. E. Major est à definitione proprii & perfectissimi
 & maximè proprii. Minor è supra adductis. Tertia: Quicquid
 Bruto nullo modo competit, sed soli homini, illud ^{ad} melius uti
 hominē Brutis dici non potest. Atqui Ratio &c. Ergo. Major
 clarissima est ex indole propositionum comparativarum. Mi-
 nor constat ex hætenus adductis. Elegantissima sunt verba
 B. Sperlingii, in *Zoologia Phys. cap. 2. axiom. 8.* ubi invehi-
 tur in mente præditos, imitantia tamen amentia
 bruta, Scripsit, inqviens, Vir magnus, *se omninò carere
 ratione, si Elephas careat.* Hæc in speciem dicuntur contra
 Majestatem nostram. Negligentes dignitatis suæ sunt, bruta
 qui extollunt ob inustas quasdam rationis naturas. Habent
 simulacra mentis, quam in nobis non colimus, in ipsis reve-
 reamur, Admirationem nobis si incutit vestigium mentis in

B 2

Ele-

Elephante, magis admirabiles nos reddet mens ipsa. Non est imago præstantior opere, non est umbra perfectior lumine, effigies mentis si feras nobis facit similes, possessio ejus vera Deo nos facit proximos. Erubescat Homo, si ultra dignitatem suam assurgant bruta, & infra eam descendat ipse.

§. 17. Probatâ ergò sententia nostra vera, soli nempe Homini competere Rationem, nunquam Bruto, super est Autoris nostri laudati assertum, hujusq; probationes dispiciam, Animalia sc. bruta melius uti ratione Homine, quod in libro suo primo demonstrare conatur exemplis brutorum non modo Gresilium, Volatilium, Natatiliū, Reptiliū, sed & insectorum. Cui Viro, Doctissimo alias, primò revocam in mentem & in genere reponim, illud Nierembergii, L. 1 Hist. Nat. c. 18. p. 11. *Quanta, scribentis, animalium calliditas ad proventu vite, ad propulsanda pericula, ad medicandos morbos, ad educandos foetus? Adjice, quod hæc docta nascantur supra humanam felicitatem, nos sine longâ disciplinâ rudissimi simus. Quis docuit leporem timere canem, & non cervum, cum deformior sit? Quis pullum timere milvum, & non pavonem, cum major sit? Quis cervum admonuit, plus valere levitate quam viribus? Quis Leonem ad usum ungvium instituit, equum calcium; ut ille fugâ sibi consulat, iste armis, cum majora armamenta sint cornua? Si sapis, non casu ita fieri dices. Bona sus inutilibus pugne cornibus multiplici in se flexu recurrentibus, ut offensione non vulneret, novit, præsidium, quod frons negavit, alvum dedisse. Cum fuga sibi consulit, pro ludie citi ventris finem egerit per longitudinem trium jugerum, cujus ardens contactus exurit insequentes ignis instar. Scilicet norunt bruta arma sua, idq; $\Phi\upsilon\sigma\epsilon\alpha$: Norunt hostes suos, quia eos fugiunt vel fugant. Norunt commoda sua*

sua

206.
sua, quia ea appetunt: Norunt pericula, quia ea, quantum pos-
sunt, vitant.


§. 18. Deinde, quod tamen cum pace laudati Viri
scripserim, ignorat Autor noster, Brutis plurima inesse *Φύσες*,
hujusq; instinctu actiones certas competere; plurima etiam
assuefactione, institutioneque assiduâ, laboriosâ, & diuturna
contingere; & perpetuò confundit naturam cum ratione,
quam illi opponit. Cùm tamen manifestum sit, Naturam
semper agere propter finem, & quævis agentia naturalia pro-
pria suâ cognitione fines suos cognoscere cognitione jam
naturali, jam sensuali, jam rationali. Unde etiam prudentia
alia naturalis, alia sensuali, alia rationalis, quarum hanc soli
Homini asserimus, istam verò & illam, Brutis, Plantis, & metal-
lis; Plurima tandem dici & fingi de Brutis, quæ non sunt, aut
non eo modo, quo dicuntur esse, sed omnia superant fidem,
cum Autor noster Papæ assentator insignis sit, adeoq; supersti-
tionibus & rebus fingendis perquam deditus, ceu in speciali
contemplatione singulorum Brutorum, quæ Autor noster ad-
ducit ad sententiæ suæ fidem faciendam, demonstraturi su-
mus.

§. 19. In specie verò Autori nostro ad singula adducta
respondemus: Quicquid affertur & dicitur, modò verum, non
fictum, & naturale. è Gresibilibus de Leonibus, Leænis, Ele-
phantis, Camelis, Canibus, Cuniculis, Tigribus, Asinis, Corvis,
Eqvis, Gliribus, Manticora, Hyæna, Pardo Panthera, Stellioni-
bus, Ponticis Fibris, Ursis &c. è Volatilibus de Aquilis, Pavo-
nibus, Lusciniis, Columbibus, Gallis, Ciconiis, Cornicibus, Picis,
Corvis, Perdicibus, Hirundinibus, &c. è Natatilibus de Sepiis,
Loliginibus, Polypis, Delphinis, Conchis, &c. è Reptilibus, Dra-
cone, aspidibus, viperis, &c. ex Insectis de Formicis &c. Illud neu-
tiqvam pro principio habet Rationem; Sed vel indolem &
Naturam cujuslibet Bruti; vel docilitatem, institutionem &
assuefactionem, ceu è Nierembergio supra probavimus.

§. 20.

S. 20. Nec insuper habendum, quod contra Doctores
^{hinc} Salticos & Jesuitas differit Jesuita Rodericus de Arriaga
in Diss. Phys. 8. s. 4. subs. 2. Quis, inquam, quando panem Cani
v. g. ostendo, & ille ad me accedit; quis, inquam, poterit
sibi persuadere, quando canis vult se movere, nihil cogita-
re tunc de Pane; nec velle se movere, ut panem, quem in-
tuetur, & quo viso, incipit tripudiare, accipiat; sed pre-
cisè tunc cogitare de motu, postea verò, quando jam est ap-
proximatus pani tunc primò proponi ei comestionem pa-
nis? & paulò post: Idem est in innumeris aliis experienciis
æquè manifestum, ut v. g. quando Baculo Canem à me re-
pello, quis credet, illum non timere baculum, & propter
illum vitandum fugere, sed solum cogitare de fugâ? &
quando vocatus adscendit ad aliquem, quis dicet, eum nō
cogitare primò, nisi de primo gradu, cum autem jam est
in primo, tunc cogitare de secundo? imò neq; de ascensu
deberet cogitare, sed solum de elevando pede & postea de
figendo, quæ omnia sunt prorsus incredibilia: ergò
negari nequit, bruta aliquo modo cognoscere, utili-
tatem & ab eâ moveri. Quæ singula & omnia
discursui nostro publico reservamus.
His finientes & dicentes

S. D. G.



Coll. diss. A. 240, misc. 40